



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Conradi Oigenii J. C. Dissertatio De Primariis Precibus  
Imperialibus**

**Corradini, Pietro Marcellino**

**Friburgi Brisgoiae, 1707**

XXXI. Adversarium objectiones diluuntur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63022](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-63022)

de vacaturis disponeretur, concedere. In Precibus Imperator disponit de vacaturis, data electione Precistæ obtinendi primò vacaturum, quod is elegerit; & quod plus est, in Concordatis Papa sibi tantummodo reservavit collationes omnium Beneficiorum, quorum jus Episcopis, & Capitulis non dederat, & quorum elenchum jam retulimus; in Precibus autem Imperator disponit de Beneficiis quibuscumque, exceptis Ecclesiis Episcopilibus, & majoribus dignitatibus; disponit etiam de Beneficiis quocumque mense vacantibus, & sic de illis vacatis, & vacaturis in mensibus soli Papæ reservatis. Demum in concordia nil quod beneficialia sapiat reservatur Friderico & Successoribus, & omnium Beneficiorum collationes distribuuntur inter Summos Pontifices, & Ordinarios Collatores Germaniæ; quamvis Fridericus, omnesque Germaniæ Ordines concordiæ adfuissent, eamque laudassent, & Imperator dissimulare haud potuisset jus primiarum Precum, quod Imperatores se habere existimaverant, cum & ipse ab Eugenio prædecessore Nicolai V. indultum speciale super his impetrasset.

Hoc argumento exagitati Acatholici Scriptores, & Germani quidam Catho-

XXXI.  
Adversarij

C 4

40. *De primariis Precibus Imperialibus*  
rum objectio. lici, re haud recte perspecta, respondent  
nes diluuntur. in concordatis nullum fuisse interrogatum  
præjudicium primariis Precibus, in iis  
non expressis, vel concordata junibus  
Imperii præjudicare non potuisse, defi-  
ciente Imperii totius consensu, uti arrisit  
Lehmanno de pac. Relig. lib. 2. cap. 70.,  
Fritschio de primar. Precib. cap. 2. §. 43.,  
Vitriario Instit. Jur. publ. lib. 3. tit. 2.  
num. 9. in adnotat. ad fin. pag. mihi 56.,  
Mayero in tract., quem nuper scripsit de  
jur. primar. Prec. num. 43. 44. & 45.  
pag. mihi 24. & sequentibus : qui plu-  
ribus nugis dignis solum Acatholico ho-  
mine hanc rem absolvit, & ex nostris  
Pyringhi. tom. 3. tit. 5. Decretal. num.  
376. Engel. eodem tit. num. 71. aliquie.  
Sed concordata jam relata constabilita  
fuere apud Germanos inter Legatum Pon-  
tificium, Fridericum Imperatorem, Ele-  
ctores, omnesque Principes Imperii, &  
Clerum universum Germaniae, ut jam  
narravimus ; adeoque inclita Natio jam  
dicta sollicita fuit de illorum observan-  
tia, ut quisquis illis contraire ausus esset,  
edictis sequitorum Principum territus  
fuerit ; quippe successor Friderici Maxi-  
milianus I. edicto cavit concordata sedu-  
lo servari ; sic & Carolus V., & alii suc-  
cessores, uti patet ex edictis apud Golda-

119  
ab anno 1523  
anno 1523

stum s<sup>e</sup>pe citat. tom. i. pag. 411. ad finem: & c<sup>um</sup> quidam Episcopi conquererentur apud eundem Maximilianum I. quod contra pacta laudata expectativæ concederentur, Natio universa eidem Preces porrexit in hunc modum: *Sicut Regnum Francia pragmaticam habet sanctionem, sic Imperium Romanum habet concordata Principum; utque ea illæsa conserventur interest Cæsareæ Majestatis: raro tamen hactenus per Summos Pontifices violata sunt, & Auditores Rota juxta illa hucusque feruntur judicasse; & si aliquis Curialium per quamcumque dispensationem conaretur illa infringere, quod Episcopus, vel Princeps, vel Senatus ejusdem loci principiis obstando ei concordata inculcaret, pie exhortans ne contraveniat: sic apud eundem Goldastum Germania universa sollicita fuit de concordatorum firma observantia. Quamobrem audiri non merentur Acatholici, qui videntes hujuscemodi Preces adversari concordatis, Imperatores pacta à prædecessoribus firmata, rotisque cœtu Germaniæ laudata, ac tot edictis Imperatorum roborata, subvertere impunè posse arbitrantur.*

Facile etiam corruit aliud argumentum; quoniam si concordata inita sunt inter Summum Pontificem, & Imperatorem semper à